
VNA OMNES
SFORTIAE BRIPPIO
Academiæ Arysophorum Principi
Philosophiæ lauream publicè adepto
In Templo Coll. Brayd.
SOC. IESV.
Animosi Rhetoricæ Academici,
Gratulatorias uices obituri
Gentilitiæ uirtutis geminam lauream
Vna Omnes contexunt.
DANT ANIMOS VICES
Bartolomaus Genovesinus delin.
Bassanus F.

Imprimatur.
Fr. Augustinus Isachus Prouic. Sancti Officij Mediol.
Io. Paulus Mazuchellus pro Illustris. D. Cardinali Archiep.
Visum pro Excell. Senatu.
Saccus &c.

MEDIOLANI, Apud Io. Baptistam Paganellum.
M.DC.XXIX.



ILLVSTRISSIMO

# D. CAESARI BRIPPIO
## MARCHIONI S.Æ MARIAE
## IN PRATO &c.

Et in Regio Magistratu Reddit. Ordin. Quæstori meritissimo.

MARCHIO PAVLVS LONATVS
Academiæ Animosorum Princeps
Felicitatem.



Roperat tuus Sfortia (Marchio Illustrissime) ad præmia doctarum frontium, & qui tuæ fœlicitatis germana est proles, reportat laureā, viuidam frōdibus nūquam morituris. Exultat statim in laureato suo Principe vniuersus Arysophorum cætus: gestiunt pariter affines Animosi. Concipiunt tacitis animis lætitiam meritis parem; æqualem gratulationem parere se posse diffidunt. Hinc timidiores existunt, neq; tamen fugitiuo recessu se subtrahunt,

tantum

tantum accedunt verecũdi ex inferiore tributo, quod afferunt officij non absoluti ad exemplar meditatæ lætitię. At verò sunt Animosi, qui Principi Maiestati vectigal non princeps, plebeium quid, & vulgare persoluere non verētur. Et quidem Cerui, quibus & ad illorũ ingenium summopere arridet fistulæ modulatio, acciditq; gratissimus lyræ concentus. Quid enim? Poeticis modis præludunt in Heroibus Brippijs Excitant hoc ipso prooemio, & velut in præmium pręambuli cantus excipiunt statim harmoniam Brippiarũ virtutum, quę in altero tuo Sfortia consona varietate cõcordes, plenum illud quidem, & maximè vnum melos efficiunt. Addam hoc, si permiseris Brippiorum Cęsar, & se recreant Cerui Animosi in tuo, in concentu attemperante se tuo. Igitur è nostris VICIBVS plus uice simplici respõdente Echo, & Sfortię, & Cæsari reddimus melodiã non vnam in una. Vale.

# AD MVSAS

Pro Laurea Sfortiæ Brippij Aryſophorum
Academiæ Principis.

*AD ſerta Muſæ. Non nouus Aduena*
*Propinquat aris victor Aonijs,*
*Adeſte, Phæbeo Clienti*
*Ferte parem meritis coronam.*
*Sed nec per agros lecta Heliconios,*
*Nec rapta ſyluis germina Theſſalis,*
*Non laurus innutrita Pindo,*
*Non ſolitæ placuere frondes.*
*Ne odora nectas nobilioribus*
*Liguſtra Calthis; Deſine, Deſine*
*Molles Achantos flexuoſis,*
*Sacra Clio, ſociare iuncis.*
*Fæcunda tantæ Frons ſapientiæ*
*Non conſueta Ciclade fulgeat,*
*Coruſcet aſtris, & ſuperbo*
*Inuideas, Ariadna, ſerto.*
*Adeſte Cælo ſidera ab intimo*
*Sat nota Diuis ſidera, & Aemulo*
*Adeſte maiores Nepoti*
*Par meritæ Diadema Pompæ.*

Aloyſius Vicecomes Academicus
Animoſus.

FRANCINVS BRIPPIVS TRITAVVS
Ex Cōſiliarijs Mediol. Reip. poſt obitū Philippi Mariæ Ducis.
Debuit Primus eſſe ex Germania in Italia
Per Ill. Familiæ Splendor
Non à domitis Populis;
Sed ab origine Generis
Germanicus Inſubris Romæ.
Non poterat latere
Quamuis in Ampliſſima Prouincia
Branſvvicenſium Ducum Domus Sereniſſima,
Tunc primum felicitas cæpit peregrinari.
Beata Inſubria,
Quæ Aeterno excepit hoſpitio
Tam heroica initia, ne degener ſit Poſteritas
Sfortiæ Laurea ægregiè
Coronabit.



Franciſcus Brippius Tritauus
Sapientiæ Auſpicator in nepote, ſuā illi Parnaſſi ſeu ſapientum imponit lauream.

ODE

*SVblimiorum culmina mentium*
*SEdocta laurus ſcandit, & implicat*
*Superba crines, grandiori*
*Quos videt irradiare fama.*

*Heroas*

*Heroas alto praescia germine*
*Sibi maritat: florida, splendida*
*Viret, triumphat gloriosè*
*Despiciens animas minores.*
*Laurus capillis dura Platonicis*
*Deum creauit: laurus amabilis*
*Faecunda splendoris coronat*
*Carminis, eloquijq; Reges.*
*En doctiorum Laurea frontium,*
*Doctorq;, Lauri Laurea: Plaudite*
*Musae, Mineruae, Apollinesq;*
*Artifices operis beati.*
*Adoro Frondem, quam Sapientia*
*Tui Virago, Sfortia, Pectoris*
*Nutriuit aeternis honestam*
*Inuidiam paritura seclis.*
*Cui Caelicultrix Diua serenior*
*Sudantis imbres depluit ingeni,*
*Cui Virgines afflauit auras*
*Nectaris Ambitiosa nutrix.*
*Vltrò beatas expolio comas*
*Serto micanti prodigus, & simul*
*Auarus: in te nostra Laurus*
*Euiret vberiore luce.*
*I docta Laurus, nec pigeat meos*
*Nudare crines: inuenies caput*
*Dignum corona grandiori.*
*Viue diù meliore Phoebo.*

Hieronymus Vicecomes Acad. Animosus.

Iacobus Stephanus Brippius Atauus
A Ioanne Galeatio Duce
Magistrat' Ordinarij Quęstura insignitus.
Mirum in Quæstura quæsturam non habuit.
In Romano honore Romana illi nō defuit virt',
Sed Curia.
Honorē honori cōtulit, vænales reddidit virtu-
Dignitates. (tib'
Et meritò sane.
Ad sūmos honores ascēdebat tūc nobiliss.ª familia,
Quæ in Sfortia debebat extolli
Ad apices Regum
Laureas, ET coronas.



Iacobus Stephanus Brippius Atauus
Sua honoris, seu legum Laurea nepotem
coronans dignitates auguratur &c.

ODE

*NEcte comis maior magnis maioribus Hæres*
*Illustre germen Lauream.*
*Summa vides, genius quibus ingeniosus honoris*
*Summum coronat Principem.*
*Imbue flammantes regali murice vestes*
*Germana Lauri est Purpura.*
*Diffugiat pennatus honor nebulosus in auras*
*Ligas coronæ nexibus.*

*Ful-*

*Fulmineas vibret Fortuna nouerca sagittas;*
*Laurus retundit fulmina.*
*Ibis ouans, plenoq; fluet tibi gratia cornu*
*Cubat frequens in frondibus.*
*Auguror aeternas pretioso pondere gazas,*
*Opesq; Regis Lydij.*
*Laurus adest, Laurum facile mutabis in aurum;*
*Emetur aurum Laurea.*
*Candet in Argento Laurus, pallescit in auro,*
*Paruisq; stellis gemmulat.*
*Auguror ornamenta togae, trabeamq; superbam,*
*Amica bullae adorea est.*
*Vade per Heroas patrij tibi Caesaris Haeres,*
*Ascende honores Caesarum.*
*Scindo meis Laureta comis, cum foenore scindo*
*Tuis beanda crinibus.*
*Ingentis sacranda animae splendoribus, almae*
*Aeternitati florida.*
*Ergo agnosce tuam frondem, tibi Sfortia nomen*
*Dat fortiorum praemia.*

Franciscus Casatus Acad. Animosus.



Eques

Eques Francifcus Brippius Abauus
Thefaurarius Generalis, & Ordinarij Magift., Præfes
Maiorum meritis addens fua,
Brippiæ nobilitatis
Aequè Author haberi meruit, ac Hæres.
In diuerfa fortuna numquam diuerfus
Inuidorum dentes fua fregit conftantia
Sortis vtriufq;
Triumphator
Coronam adeptus
Eam nepoti Sfortiæ referuauit.

ODE

O *Proterua regna fortis, ò maligna Perfida*
*Iura Diuæ, peierato iura digna Tænaro?*
*Omne fas Fortuna mifcet; armat illa noxios,*
*Orbe pellit immerentes, damnat, vrget Integros.*
*Regna poffident Nerones, fceptra torquet Phalaris,*
*Virus hauriunt Catones, calcat exul Africas,*
*Reguli Fides arenas, fudat, alget Hercules*
*Sors honefti nomen horret, nec pios fert Impia.*
*Sic te Auitæ fide Cuftos, Laudis olim Barbaro*
*Straffet ictu, ni nefandæ pœnitens proteruiæ*
*Rurfus antiquæ merentem deftinaffet Gloria.*
*Huc adefto reftituta nobilis Coronide,*
*Huc adefto Laureato lux amica Sfortiæ,*
*Huc adefto, præmicanti ferta comple fidere.*

Francifcus Marianus Academicus
Animofus.

Dionisius Brippius Proauus
Casalis Maioris, & Marchionatus Salutij Gubernator
A Carolo Quinto Senator creatus
Mortalem se probare non poterat, nisi periret.
Aequè carus, ac vtilis Patriæ
Hoc vnum intulit damnum
Vt illo timeret viuo, doleret mortuo.
Infælix Ciuitas,
Nisi amissum ciuem recuperasset in Posteris.

## ODE

*QVid clara Trabeatis*
*Iactas sæcla Quiritibus,*
*Intaminatos toties quid effers*
*Roma metellos?*
*An semper incorrupti*
*Promes tempora Reguli?*
*Ardua an semper referes sagacis*
*Iura Senatus?*
*Sat notas sempiterno*
*Voces conde silentio,*
*Roma nec tandem renuat secunda*
*Cedere Romæ.*
*Hæc magna Purpurati*
*Iactet nomina Brippij*
*Hæc suum laudet minus arguenda*
*Vocem Catonem.*
*Ille seu subalpinis,*

*Seu*

*Seu ius poneret Insubri*
*Mitis in iustos, grauis in nocentes*
*Sidera vidit.*
*Tu tamen expetito*
*Dudum ciuis in Aethere,*
*Ne, precor, notas iterum graueris*
*Visere terras.*
*Non vltima Cognatæ*
*Adsis gloria Laureæ,*
*Non in extructa minor emicabis*
*Gemma Corona.*

Comes Gibertus Borromæus
Academicus Animosus.



SFORTIA BRIPPIVS AVVS
Ex 60.Decurionibus,
Pro Patria
Apud Pontif.Max., Conciliũ Tridentinũ,Hispaniarũ Regẽ
Orator:
Ad omnes ferè Principes Italiæ
FunctusLegationib.pro Excell.Gubernatoribus.
Vtriusq;
Quæstor Magistratus:
Commissarius Generalis Exercituum in Gallia Cisalpina,
Ex excelsis Consiliarijs Secretioris consilij.
Admirare Heroem,
In quem vt beatissimum facerent
Virtutes omnes, & honores confluxerunt,
Multis Triumphis dignum, coronis innumeris:
In quo
Prodiga fuit & Auara Fortuna,
Nam omnibus effusis donis, non satisfuit ad merita
Cohonestanda,
Inuideat sæculum nostrum superiori, admiretur æternitas
Vel hoc vno mortalium felicissimum
Quod & D.Caroli Borromęi Illustriss.a necessitudine sit vt,
Et Sfortia Sfortiam
Habiturus sit Hæredem nominis,
Et Gloriæ suæ
Immortalem.



SFORTIA BRIPPIVS AVVS
Suam nepoti militarem, seu Cæsarum ac
Triumphantium laurum feliciter
Auspicatur.

B ODE.

# ODE.

SVrge, quid cessas dare militari
Serta virtuti, redimende Lauro;
Quam Triumphati dominator orbis
Messuit ensis.
Ite Phœbæi nemoris corollæ,
Et decent mites sua serta vates
Et decet lectis pretiosa gemmis
Laurea Reges.
Surge, vincendum: metuenda ferro
Fulminis fulmen, sitiens cruoris
Te beat Laurus, domino coronat
Tempora nexu.
Cerno lymphato trepidare motu
Barbaras Istri glacialis vndas,
Et cruentatis mutilata ferro
Cornua Lunis.
Cerno flammantes fluitare Tigri
Sanguinis lymphas, lachrymisq; Nilum
Turgidum, græcas populare Laurus
Ferre tributum.
O veni lauta ambitiosa fronde
Arbor, æternis pretium triumphis,
Arbor armatæ moritura numquam
Gloria dextræ.

Surge

*Surge, gentiles procul ite frondes*
*In bonam luxu meliore Frontem*
*Nominis nostri generosus Hæres*
*Sfortia surge.*

Comes Renatus Borromæus
Academicus Animosus.



CAESAR BRIPPIVS PATER
Hæroum nepos, ac Parens.
Primus edocuit
Maiorum suorū Gloriam maiorem esse potuisse.
In sexaginta Decurionū n.° non postremus.
Magistratus Ordinarij Quæstor.
Marchionatus Honore Insignis.
Commissarij Generalis vices gessit.
Maximorum Parentum non degener Filius,
Maximorum Filiorum Parens effici meruit.
Felix,
Qui ante exortam videat eorum Gloriam,
Quam occumbentem lugeat
suam.

ODE.

*ILle Bellacis domitor Britanni,*
*Doctus Arctoas superare Cautes;*
*Et rebellantem cohibere denso*
*Milite Rhenum.*

*Ille non vno locuples triumpho,*
*Suetus insanos Rhodani furores*
*Rumpere, & diram populo Quirini*
*Subdere Gentem.*
*Nulla mendacis fera tela Diuæ*
*Senserat, dici poterat Beatus,*
*Nomen hoc tantum meritò occuparat*
*Iudice vulgo.*
*Ille sed numquam Patris assequutus*
*Nomen, infælix titulum Beati*
*Perdidit, nullo miserante nato*
*Raptus ad ignes.*
*Heu quot ex multis glomerata terris*
*Dona conclusit male notus Hæres?*
*Cæsari hoc quantum miser inuideret*
*Nomine Cæsar.*
*Sors tibi Augustæ dedit apparatus*
*Regiæ, mentem dedit & sagacem*
*Laureis dignos tibi nec nepotes*
*Fata negarunt.*
*Viue iam longos hilaris per annos,*
*Viue, nec Lethen metuas, superstes*
*Deget in natis melior Latino*
*Cæsare Cæsar.*

Ludouicus Vicecomes
Acad. Animosus.

IO. BAPTISTA BRIPPIVS PATRVVS
Per varios Honorum gradus,
Ad Cremonensem Episcopatum euectus,
Vt plurimas honoraret Dignitates.
Dubites
Animorum Pastor ne fuerit, an Raptor,
Qui gregem pascebat Doctrina,
Rapiebat eloquio.

*Ardua sollicitas inuoluit Gloria curas;*
*Allicit vnde oculos, traijcit inde manus.*
*Difficiles aditus, sic celsa cacumina præbent;*
*Nec rosa dumetis vlla carere potest.*
*Magnatum sedes, gemmis, curisq; rigescunt;*
*Regius ex auro constat, & ære thronus.*
*Nobilis ex Fabro splendor sudore creatur,*
*Multum honor angoris, Angor honoris habet.*
*Præsulis egregij patruas i consule laudes,*
*Posthuma sudorum Gloria tanta fuit.*
*Cremonense solum, cum rexit Episcopus, O qua*
*Mordebat pectus, quantaq; cura gregis?*
*Sfortia; cui sertum præsaga intexuit ætas,*
*Ne fragili cures cingere fronde caput.*
*Gloria te Patrui defuncta laboribus ornat,*
*Vt rosa Dumetis exonerata suis.*
*Et benè ad innubes, post feruida bella, triumphos,*
*Cortice discusso Gloria pura venit.*

Marchio Franciscus Vicecomes
Academicus Animosus.

Marchio Franciſcus Brippius Frater, Iuris vtriuſq; Doctor Collegiatus.

Germanum Sfortiæ Illuſtriſſimus exortus,
Morum affinitas, & ingenij
Reddit Germaniorem.
Tam felices fratrum Laureæ,
Quale Lauretum germinabunt in poſteris;
Hęreditaria eſt Brippijs gloria frondis immortalis.
Iam non inuideat ſæculum noſtrũ antiquitati,
Tellus Cælo,
Habet nũc Tellus noſtra ſuũ Caſtorem,& Pollucem,
Geminum ſydus Inſubriæ,
Simul lucens.
Prodigium ingenij, vnicus intelligentiæ excellentia
Franciſcus eſſet,
Niſi fratrem haberet Sfortiam,
Cuius laurea tam grandis eſt,
Vt ipſum etiam piè.
Liberaliterq;
Coronet.



*AVdacis ille pectoris Tyrius fuit,*
*Qui syderum terens iter,*
*Rapto ſacratis neſcio vaſis Ioue*
*Terras beauit nectare.*
*Audax neſandas qui manus Olympicis*
*Inferre voluit poculis,*
*Et nectar immortale non homini datum*
*Eripere ab altis ſedibus.*

*O ter*

*O ter Beatum, qui fluenta nectaris*
*Dædaleæ aperuisti Dea?*
*Te vidit aureum exerens Phœbus caput*
*Francisce doctis in choris:*
*Vidit corollas flexuosa crinibus*
*Lauro legentem duplices.*
*Nimis superbum tristis Iapeti genus*
*Ignes ab astris sustulit.*
*Quales ab alto vidit ignes te Polo*
*Pallas ferentem Brippia?*
*Hæc ne sonora iactet ad Polum chelis*
*Antiqua gens mortalium?*
*Te lumen extulisse Palladium canant,*
*Quo fratris emicent comæ.*
*Amicta fratre sic coruscat Cynthia:*
*Proh quam micabis Sfortia?*

Franciscus Comus Acad.
Animosus.



# BRIPPIA GENS

VTRAQ; NOBILITATE INSIGNIS
Musas hortatur,
Vt insignia suorum decorum
Suo Sfortiæ decorando
Contexant
In alteram lauream.

*CVrrite celeres sacræ bifidi*
*Verticis animæ: currite celeres.*
*Daphni pariles habet æquoreum*
*Littus honores; noua Penæi*
*Gloria virides suggerit orbes;*
*Legite ò pubes inclyta laurum.*
*Age: quæ nostri signa triumphi*
*Cinxere vagas sine lege comas*
*Stemmata, Caro iure Nepoti*
*Vectigales cumulant lauros;*
*Quas nemorosi culmina olympi*
*Aemula nunquam genuere poli.*
*Daphnia quales non fouet vndæ*
*Accola virgo; quales bifidi*
*Iuga Gorgonei nunquam indigenis*
*Flexere sacri frondea laticis.*
*Legite ò pubes inclyta laurum.*
*Sunt leuiores contenta animæ*

*Quas*

*Quas parit Helicon cingere frondes.*
*Penæa vnus flectit Apollo*
*Serta, nec aliud Daphnia redimit*
*Tremuli soboles marmoris aurum.*
*Noua Penææ gloria Thetidis,*
*Quæ peperit honor serta triumphi,*
*Mittimus vltrò cinctura noui*
*Tempora Solis, tempora Prolis;*
*Legite ò pubes inclyta laurum.*

Antonius Maria Quinqueuiarius
Academicus Animosus.

Bransuuicensium Ducum Gloriam,
A quibus cum sanguine virtutem hausit
Brippia Gens,
Clarioribus in dies honorum radijs crescentem
Sua laurea illustrat
Sforcia Brippius.

*HEu solers hominum genus*
*Antiquas nimium quærit imagines,*
*Nec quod iam Proauis decus*
*Virtutis famulum subdidit Aethera*
*Proles sanguinis immemor*
*Ambit, sed Patrijs fidit honoribus.*
*Sic audax Clymenes puer*
*Expertus vacuum flammeus aera*

C Currù

*Curru non homini dato*
*Cæleſtem generis iactat originem.*
*O fælix noua ſanguinis*
*Ter fælix ſoboles inclyta Brippij,*
*Quales tu numeras auos,*
*Quales ingenui ſeminis ordines?*
*Non te ignobile protulit*
*Limen, non Geticũm plauſtra mapaliũ.*
*Te gentilia Principum*
*Illuſtrant radio ſtemmata nobili;*
*Te Germania Filium*
*Agnoſcit Ducibus fertilis inclytis.*
*Martis claret honoribus*
*Stirps, & laurigeras fert ſapientiæ*
*Frondes, vt ſobolem genus*
*Diuinum meritò tollat ad Aethera.*
*Te, ſi non foret innuba,*
*O Brippi, genitum Pallade crederem.*

Co.Hieronymus Sãnazari[*] Acad.Animoſus.

Contendunt Bellicoſi, contendũt eruditi
Brippiæ gentis viri,
Contendunt in decus Sfortiæ.
Fortiorum robur Quietiorum ſtudijs
iungit ſtudioſus Nepos,
Et gerit in Palladia quiete Martialem animum.
Qui fuerant in pluribus diſiuncti,
Coniunguntur in vno.

ODE.

# ODE.

GRandauum, video, iam noua gurgitis
Rectorem tumidi iurgia concitant;
Iam Iam Virgo nouis poscis honoribus
Extolli sapientiæ.
Certat muneribus vincere bellicis
Frænator pelagi; vincere laureis
Certat; nec galeam Pallas, & ægida,
Nec currum, aut rabiem parat.
Atrox belligeris quem similem cupit
Neptunnus Proauis, candida martijs
Bellorum cumulat tempora laureis;
Spe tantæ sobolis grauis.
Pallas temporibus circuit Atticis
Doctrinæ teneras innuba laureas;
Prolis cæsariem, quam sibi deuouet
Molli stemmate comprimit.
Victrices Phrygiæ victus Apollines
Innuptæ domitor littoris exhibet;
Hæc tantæ sobolis læta nitoribus
Carmen præscia concinit.
Macte ô Palladiæ gloria laureæ
Brippi; Cecropidum tu noua ciuitas;
Phœnix perpetuum tu sapientiæ
Aequabis nouus alitem.

Paulus Benedictus Ruginellus
Academicus Animosus.

GALEATIVS BRIPPIVS
Ordinis Humiliatorum Generalis Magister.
Latere non potuit in Humilitate
Brippia virtus,
Debuit esse magistra Christianæ sublimitatis,
Et in sui Sfortiæ gloriosa modestia
Antiquam simul, & nõ antiquatã
Disciplinam hanc demõstrare.

ODE.

*CLio Castalij gloria culminis,*
*Aeternæq; lyræ nobilis arbitra:*
*Sint qui florigeras Hesperidum plagas*
*Cantent, purpureum ver vbi parturit*
*Semper picta nouis Flora coloribus,*
*Narcissisq;, rosisq; admouet vbera,*
*Aprilemq; suum suffit odoribus.*
*Vel musco celebrent antra virentia*
*Qua gemmata comas, terga, sinus Thetis*
*Ducit squammigeros Nereidum choros.*
*Tu flauas cythara maior eburneæ*
*Chordas tende, quibus dextra sacrum melos,*
*Diuinosq; modos hauriat artifex,*
*Et nostri resonent præmia Brippij.*
*Dic vt sydereis æmula balteis*
*Gemmis Palladiam serta premant comam,*
*Victricisq; micet dextera ab arbore.*
*Dicas vt teneris consita floribus*

*Virtutis*

*Virtutis Proaui laurea, temporis*
*Intactum è manibus rapta voracibus*
*Seruarit soboli perpetuum decus.*

Carolus Raynoldus
Acad. Animosus.

ALOYSIVS BRIPPIVS
Qui Ticinensem Academiam, & iuris ambages
Publicus interpres illustrauit,
Dignus qui esset Legislator.
Sane in Mediolanensi Vrbe Senator,
In sapientiæ Senatu Consul,
Insubriam ambigere docuit
Filiū ne diceret, an Patrem.
Beata, cuius Duces consiliariū habuere Aloysiū,
Nimirum felicitati, cum sedet in solio,
Sapientia est à consilijs.

*Stolidæ quisquis portenta rotæ*
*Irrequietis questibus vrges;*
*Positum in solio fulgere nefas,*
*Regnare scelus; Ius sine iure;*
*Orbem patrijs legibus orbum*
*Pene ad Tritauum remeare chaos;*
*Sortitumq; ex ordine nomen*
*Axe maligno, fusdeq; trabi*
*Quicumq; doles: comprime questus*
*Pone signa mentis atræ,*

*Prome*

*Prome signa mentis alba,*
*Populumq; gestientum*
*Coge, scribe gaudiorum,*
*Chorus iste laureatis.*
*Destinatur vsibus.*

*Viden vt solio fulta superbo*
*Pietas vrbem trabeata regit,*
*Atq; curuli subiecta toga*
*Dedala Pallas iura ministrat.*

*Cytharistas, tympanistas*
*Pone risus, per directa*
*Ludibundos insularum,*
*Choreasq; saltitantum,*
*Ille motus æmuletur,*
*Quem cor gaudens efficit.*

*Viden vt sedes Brippius altas*
*Ille Senator, Patriæq; Pater*
*Radijs famæ flammat honestæ;*
*Quem super alios non fortuita*
*Sors euexit, sed sua virtus*
*Tulit ad Cælum, claroq; Patrum*
*Intulit albo.*

*Chori ductor euocetur,*
*Ille Græci mens lycæi*
*Plato nectaris locutor,*
*Primipilus eloquentum,*

*Spiri-*

*Spiritusq; gratiarum*
*Cœtum regat musicum.*
*At tu Patrum summa tuorum,*
*Quem sacra laurus redimire cupit,*
*Qui in fronte doces, quid mente geras,*
*Inq; latentis vestibulum animi*
*Aureæ radios indolis affers,*
*Qua propositus stella scit honor,*
*Age laurigeræ suppara puppis;*
*Preme sulcati proauis ratibus*
*Iter oceani; trans Herculeas*
*Iture plagas remige fama.*
*Qua deficiens confine suum*
*Circinat orbis, fiet honori*
*Limenq; tuo, limesq; tuo.*
*Solue puppim, pande vela;*
*Iam celeusma præparatur,*
*Iam caterna gaudiorum*
*Instrumenta vocis aptat;*
*Musicæq; dux cohortis*
*Plato carmen præcinit.*
*Scilicet olim dictante Ioue*
*Testatum orbi dedit esse Plato,*
*Tunc demum vrbes Pacis alumnas*
*Sine nube mali, ridente Polo*
*Ingressuras liquidæ portum*
*Prosperitatis, cum clauum Vrbis*

*Regeret*

*Regeret sapiens, doctaue Pallas*
*Clauata foret. Gaudeat orbis.*
*Veniunt nostris saecula terris,*
*Qualia voluit, cupijtq; Plato,*
*Eat interea chorus in cantus,*
*Caetumq; Plato vocet in plausus,*
*Strepat alternum ritè celeusma*
*Praebente thesim ductore chori.*
*Ter beata, terq; faelix*
*Plaude Ciuitas; togati*
*In triumphos ite Galli,*
*Caput ecce laureatum*
*Destinatur ad carinae*
*Moderamen Insubrae.*

Rocchus Casatus Acad.
Animosus.

Paulinus Brippius Pisarum Praetor
Et à Philippo M.ª Duce Dominij, titulo insignit.
Admirare locupletem hunc solem,
Non vnam Patriam,
Celeberrimarum vrbium immensitatem
Prudentiae, & Doctrinae luce compleuit.
Hunc ipsum mirare Luciferum,
Praeiuit pleniori lumini,
Praeiuit Sfortiae.

*COnsors syderei Patris*
*Fessum dum recreat corpus in arduis*
*Puppum*

*Puppum stringit ad vbera,*
*Lactentem puerum stringit & Herculem;*
*At somno excita, flammeas*
*Iras concipiens, abripit æmulum,*
*Puppum vellit ab vbere,*
*Et purum laticem fundit in Aethera.*
*Mammas Iuno negauerit:*
*Iunonis soboles non fuit Hercules.*
*Iam te Palladio sinu*
*Natum laureolis o genus inclytum*
*Mammas Pallas ad vberes*
*Nutrit; Dædaleis nutrit & artibus*
*Hos & Sfortia Palladis*
*Nutricis latices sugis; vt æmulo*
*Sumpto robore firmior*
*Surgis; laurigeros surgis ad ordines.*

Carolus Castanus Acad. Animosus.

Iannolus, & Toscolus Brippij.
Vrbis Decuriones,
Quos non tam iuris Doctores, quã Datores legũ
Insubriæ vniuersæ peperit
Incorrupta Iustitia.
Nec hoc gemino partu contenta æquitas,
Fœcunda semper in Brippijs,
Et nunc in Philosophica laurea
Sfortiam procreat
Ad eximiam iuris vtriusq; scientiam.
D ODE.

## ODE.

*Nunc noua frontem mihi necte lauro*
*Turba Permessi decor, & perennis*
*Arbitræ dulces cytharæ, sacræq;*
*Numina lymphæ.*
*Nunc lyræ chordas, Heliconis artes*
*Tende, queis festos vaga dextra cantus*
*Fertilis baccis, hebenoq; nigro*
*Hauriat arcu:*
*Viuit in tantæ sobolis triumphis,*
*Viuit antiquæ rediuiua viuit*
*Palladis laurus, cytharas recursu*
*Tangite læto.*
*Dum comas Brippi Proaui recingunt,*
*Et caput lauro viridante donant,*
*Innoua festas tibi læta pompas*
*Musa per æuum.*

Ioseph Cantonus Acad. Animosus.

Delfinus Brippius
Auditor Generalis in causis Appellationum.
Fauete Superi
Ne Pictor inexpertus Delphinũ syluis appingã,
Quem in litigiosi Euripo fori
Iustitia cum naufragium faceret,
Certissimam experiebatur tabulam
Ad veritatis littus euehenda.

ODE.

# ODE.

EXcipe oblatum generosè Brippi
Gloriæ pignus, viden vt propinquat
Laureæ Delphin dator, & futuri.
Promus honoris.
Laurus, & Delphin parili vigore
Laureæ, & laudis simul architecti,
Quos in aduerso studia æqua campo.
Iungere possunt.
In solo Daphne Iouis obstat igni,
In salo Delphin maris obstat vndæ,
More cognati, similiq; pene
Nomine fratres.
Currit ad Daphnen timidus sagittæ,
Currit ad Delphin timidus procellæ,
Ambo vexatos rapiunt clientes
Dispari ab Hoste.
Sæpe cum ventis agitatus Aether
Exacerbatos vomeret furores,
Et nouercalis generaret imber
Fulminis ignem,
Vidimus fractas vitulantis iras
Fulguris, cælo prope funerato,
Ad pedes lauri fieri innocentes
Vidimus iras.
Lusit effectu tua concolori
Indoles Delphin tibi mitigatis

*Sæpe adorantes posuit secures*
*Nereus Vndis.*
*Macte, Virtutis cape laureande,*
*Quam tibi Daphnen vehit ore Delphin;*
*Cui coronando pariter laborant*
*Ignis, & Vnda;*
*Viue felices memorandus annos,*
*Viue, te Delphin Pelago potiri,*
*Igne te laurus facit, irretortam*
*Vine salutem.*

Iacobus Franciscus Calderonus
Acad. Animosus.



Centum

Centum loquacem linguis
Quid famam dicis?
In Delfino II. Brippio elinguis silet.
Silet? quem Med.Resp.Decurionem vigilem,
Consiliarium prouidum.
Quem Princeps libertatis
In erogatis opibus, in opera exhibita
Opulentissimam opem,
Quem Summus Sacrorum Antistes Vrbanus VI.
Contra iniquum vsurpatorem Pontificij Iuris
Pseudo Papam Clementem VII.
Suæ legitimę potestatis primùm fautorem beneuolũ,
Deinde in procuratis auxiliarib. Ducum copijs
Propugnatorem validum.
Quem coniuges Duces
Ad secundam belli fortunam
Peditatus simul, & Equitatus Ductorem strenuum,
Ad stabilitatem pacis
Felicem compressorem turbarum.
Quem Cremonenses, Laudẽses, Brixiẽses, Cremẽses
In supremi Commissarij munere
Seditiosæ ferocitatis mitem domitorem habuerunt.
Silet, non inops laudum, silet, linguis suis impar
Numerosiori virtuti
Quamquam in Famæ silentio sat loquitur
Eloquens tua laurus
O Sfortia.

ODE.

*QVis martiali primus inordine*
*Vexilla tollit, signa quis explicans*
*Heroas inter bellicosos*
*Armigeras animat phalanges?*
*O Brip-*

*O Brippiani gloria militis*
*Delfine, primo te rapis impete,*
*Seu patrium præcedis agmen.*
*Siue Patrem Ausonium tueris,*
*Te turbulentis seditionibus.*
*Turbatus Heros Patrius, acrior*
*Tumultuantes pressit vrbes,*
*Atq; suos recreauit angues.*
*Te Roma auito non caruit Patre,*
*Exasperati iura sed expulit*
*Clementis, vnicumq; mundo*
*Reddidit imperium Latino.*
*Quæ mira præfers Brippia claritas?*
*Martem Mineruæ iungis, an ambigis?*
*Delfinus vnus iura tractat,*
*Bella regit metuendus Alter.*
*Nec mira cessant. Duplice Sfortia*
*Lætata Gens est Brippia, casside*
*Primum coronauit, secundum*
*Palladia redimit corona.*

Philippus Corius Acad. Animosus.



Ale-

Alexander Brippius.
Honorarius Ducis Cubicularius,
Et in exercitu Sfortiano
Exercita fortitudine Dux celeberrimus.
Fleuerit Alexander Macedo
Vnius orbis exiguitatem:
Ereptũ Alexandrũ Brippiũ doluit nõ vna Vrbs,
Tota luxit Insubria,
Nec adhuc temperaret à lacrymis,
Nisi vno sublato
In dispare bello parem strenuitatem
In altero non deficientem Sfortia
Recepisset.

**ODE.**

*NOndum Calliope prata virentia*
*Et pictos varijs floribus hortulos*
*Lustraui aligera mente; Heliconij*
*En tento iuga verticis.*
*Adde alas humeris, nunc magis arduum*
*Affectabis iter, nunc mage dissita*
*Attinges subitis astra volatibus,*
*Nunc mens spiret Apollinem.*
*Fines barbarici littoris attigit*
*Pellæi iuuenis spiritus armiger*
*Tranauit tumidi gurgitis Alueum*
*Tanti gloria Principis.*
*Mauors belligero robore, Brippius*

*Heros*

*Heros se superum pellit in Aethera,*
*Dedignante plagis claudier infimis*
*Innata indole Brippijs.*
*Et noui ingenium, Sfortia, Brippium,*
*Et nisu parili surgis in ardua,*
*Cum te Palladiæ frondis honoribus*
*Præcingit sapientia.*

Georgius Aliprandus
Acad. Animosus.

Lancellottus Brippius
Mortuo Duce Philippo Maria
Ex duodecim Mediolanensis Reip. Capitaneis.
In Brippiorum familiæ Cælo
Sydus ne, an Sol alter extiterit, ignoratur,
Dum Sfortiam suum
Vectigali honorum suorum lumine
Tamquam Solem agnoscit.

## ODE.

*OBscuris faciem cingite linteis,*
*Nubes syderibus, quo diademate*
*Gnosin mater amorum*
*Ditauit nitidas coronas.*
*Ne claro tumeas munere Liberi*
*Cælum, neue noua luce superbias*
*Splendens Aetheris agmen;*
*Et custodia peruigil.*
*Nostri maior ouat gloria Brippij,*

Non

*Non gemmis; radijs serta tumentia*
*Felici aucta reflexu*
*Brippî temporibus micant.*

Paulus Camillus Padernâ
Acad. Animosus.

Ioannes Baptista Brippius
In Sancti Lazari Equitatum adscriptus!
Et tuos huc affer honores,
Nobilissimi ordinis eques.
Non insignia desunt candicantis stemmatis,
Adsunt viridantis Crucis emblamata
In tuo Sfortia.
Candore sapientię clarum, laureæ viriditate
Conspicuum intuere.

ODE.

*O Quæ volucres Dædala Brippio*
*Construxit alas dextera; fortium*
*Attingit Heroum coronās,*
*Præpetibus bene fultus alis.*
*Tales serenum dum secat aera*
*Non vestit alas, qui maris æquora,*
*Saliq; prolabens arenas*
*Nomine concelebrat perenni.*
*Nec cincta tali remigio latus*
*Quæ per tumentes æquoris impetus*
*Phryxæa Graijs diues armis*
*Vellera surripuit carina.*

E *Aurata*

*Aurata nullis Vellera Brippius*
*Vectus carinis eripuit; suæ*
*Virtutis alis, ad coronas*
*Sfortiaco volitauit ausu.*

Franciscus Sartirana
Acad. Animosus.

Delfinolus Brippius
Eques Aureatus
O non Auaram virtutem in Genus Brippium,
Reperit Argenteum Claritate,
Honore facit aureum.
O Brippijs & Prodigam,
Quibus aurum, non sæculare, æternum donat
In sempiternis Laureis.

Epigramma.

*Saecula prima ferunt mundi puerilis in aurum*
*Fluxisse, instabiles hasq; fuisse vices.*
*Non figmenta loquar, pretiosa nitescit in ortu*
*Brippia Gens, auro nobile stemma refert.*
*O sobolem mage felicem, firmatur in auro,*
*Aurea quæ primùm nata, & adulta fuit.*
*Sfortiacum mirare decus, cui splendet in aurgum*
*Laurea, & æternas has facit esse vices.*

Francifcus Gradignanus
Acad. Animosus.

Coronis totius operis
Cum Allusione ad stemma Gentilirium,
Ex quo prçter acceptam Philosophiæ lauream,
Quadruplicem illi coronam
gratulatur.

## ODE.

*Siste Braydensis lyra, quid perennas*
*Brippiæ gentis memoranda gesta?*
*Non fluet tantis tibi par triumphis*
*Bellerophontis*
*Vnda; quid pergis? sine gratulari*
*Laureas; anne hæc noua, & insueta*
*Sfortiæ laus est? gerit ille ab ortu*
*Laurea serta.*
*Aureas quin & gerit hic coronas;*
*Cernis vt fuluo radians metallo*
*Sfortiæ cætus famularis, altos*
*Prouocet ignes?*
*Hic Leo fuluo tibi cinctus auro*
*Excubat victor: tibi fulminatrix,*
*Fronte inauratum diadema gestans,*
*Militat ales.*
*Cingis en auro iuga celsa, & aurum*
*Vindicans ferro fodiente, montes*
*Otio donas, sola nulla auaro*
*Peruia linquens.*

*Perge*

*Perge nunc auri domitor coronis*
*Aureis beluas cicura feroces,*
*Aureis orbem redimi catenis*
*Prodigus auri.*

*Te quidem cingent meliore serto*
*Phœbus, & Diuum pater, ille Laurum*
*Præstat, hic caulem sibi dedicatum*
*Fecit auitum*

*Iam tibi. Qui nunc viridante semper*
*Fronde præcinctum caput impetisse*
*Audeant ignes fera sæuientis*
*Arma Tonantis?*

*Irruant toto violenta cælo*
*Fulmina, at sedo violenta auito*
*Fulmina extingues, duplicíq; mortem*
*Fronde repelles.*

*O coronarum decus? o coronis*
*Nate gestandis? cui tecta, sylua*
*Antraq; æterno generosa fœtu*
*Serta refundunt?*

*Cinge iam tantis sola quæq; sertis*
*Sfortia; At næ tu fueras beatus*
*Iam minus, cælo nisi certa posses*
*Tendere vincla.*

Hieronymus Ecclesia
Acad. Animosus.



